



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singulos Anni Dies Distribvtis

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Laurentius Justinianus. 8. Ianuarii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

8. Ian. VITÆ SANCTORVM. 31
cum cælestem tenuit anno M. CC. LXXV. Ex vii^a
apud Bzou.

Si nobis non est satis ad salutem, quod virtuosè vivamus, sed oportet aliorum salutem re ipsâ desiderare; cum neque nos rectè vivamus, neque alios hortemur, quid respondebimus? quæ nobis spes salutis reliqua erit?
S. Chrysost. hom. 60. in Matth.

S. LAURENTIUS JUSTINIANUS.

8. Ianuarii.

ANnum agenti JUSTINIANO decimū nonum tulit, & osculum. Ab eo tempore omnis illi mundus desipere, una sapere religio. Ad hanc cum se recepisset, fuit qui, cum familiaritate (quæ ei cum LAURENTIO intima erat) destitutum se indignè ferret, ad septa monasterii cum totâ acie sodalium veniret: cornu unum citharædi, alterum armati tenebant. Sed utrumque perripit LAURENTIUS, captumque verbis Sodalem in sua jurare verba, manusque dare religioni coëgit, plaudentibus utique Superis, quod jam Theseus Pirithoum suum, non ad orcum, sed cælum comitaretur. Post tamen LAURENTIUS ad infulam extractus, pater pauperum, & hostis superbiorum audit, mirandaque egit plurima. In ore illud crebrò habuit: *Eam demum esse veram sapientiam, scire Deum omnia esse, at nihil, hominem, & illud: cælo excludendos omnes fore opulentos, nisi ejus janitores pauperes piâ manu corrumperent. Ego palmarium id puto: perituras Venetias fuisse, pessimo Sodomorum exemplo, nisi potentior apud Deum Abrahamo LAURENTIUS intercessisset. Porro moriturus plumas respuit, memor quàm duro lectulo Christus obiisset.*

obiisset. Et tamen sine plumis in cælos evolavit anno M. cccc. x. cum iusta illi homines inter Angeli perfolverent, funeris dicam tibicines, an virtutis buccinatores? *Ex Surio.*

Vtinam sciperes, quæ Dei sunt! intelligeres, quæ mundi sunt! provideres, quæ inferni sunt! profectò inferna horreres, superna appeteres, quæ ad manus sunt, contemneres. S. Bernard. in Ep.

S. JULIANUS M. 9. Ianuarii.

JULIANVS unicus parentum clarissimorum filius primam ætatem Musis consecravit. Eæ virgines in clientis sui pectus amorem virginittatis cum literis instillarunt. Sed obstiterè votis parentes, castas aures Hymenæo identidem pulsantes. Itaque à cælo antè per somnum armatus BASILISSAM duxit. Verùm precantes thalamo cælestis primùm odor afflavit; mox de servando pudore piè fermocinantibus cum MATRE aliisque Cælitibus CHRISTVS supervenit, qui & audentibus animos addidit, & utriusque nomina vitæ libro descripta ostendit. Ita virgo obiit BASILISSA; JULIANVS verò etiam Martyr; qui dum ad ludibrium totâ urbe vinctus circumducitur, CELSVS, mali Judicis non malus filiulus, conspicatur eum non tam inter lictorum, quàm Cælitum manus inambulare. Pedes proinde martyris complexus, & Christum puer non pueriliter, & ipse fassus, cum JULIANO ad ignem damnatur. Sed virtus proba è flammis splendidior nimirū exit, crescitque, matre etiam Celsi ad Christū adductâ. Caput demum omnibus sub annum Christi ccc. xi. auferitur. Sed neque sic locus coronæ defuit. *Ex Sur.*

Qui igne Christi captus fuerit, talis fit, qualis esset homo